S. C.	Senatus consulto.	SER. OFF.	Servo officinario.
S. VE. C.	Senatus ve consulto.	SEV. AVG.	Seviro Augustali.
S. C. F. C.	Senatus consulto faciundum curavit, vel curaverunt.	SEX.	Sextus, <i>praenomen</i> .
S. S.	Sanctus Senatus.	SEX. F.	Sexti filius.
S. S. & S. S.	Supra scripti.	SEX. F. SEX. N.	Sexti filius Sexti nepos.
S. S. S.	Supra scriptae summae.	SEX. L.	Sexti libertus.
S. S. F. N.	Supra scriptorum tantum nomine.	SEXT.	Sextilis, <i>mensis</i> .
S. L.	Senatus legitimus.	SIG. LIB.	Signum liberi.
S. L. M.	Solvit lubens merito.	SIL.	Silius.
S. P. F.	Sua pecunia fecit.	SING. <del>XX</del> II.	Singulis denarios binos.
S. P. F. C.	Sua pecunia faciundum curavit.	SP.	Spurius, <i>praenomen</i> .
S. P. D. D.	Sua pecunia donū dedit.	SP. F.	Spurij filius.
S. P. P. D. D.	Sua pecunia posuit, donum dedit.	SP. F. SP. N.	Spurij filius Spurij nepos.
S. P. P. S.	Sacris publicis praesto sunt.	S. P. L.	Spurij libertus.
S. P. Q. L.	Senatus populusque Lanuvinus.	SPEC. LEG.	Speculator Legionis.
S. P. Q. R.	Senatus populusque Romanus.	SPL. EQ. R.	Splendidissimo Equiti Romano.
S. T. T. L.	Sit tibi terra levis.	STE. & STEL.	Stellatina, <i>tribu scilicet</i> .
S. V. T. L. H. F. C.	Sit vobis terra levis: heredes faciundū curatūt.	STIP.	Stipendorum, <i>sive Stipendiavit</i> .
S. V. P.	Sibi vivens posuit.	STIP. AN. VI.	Stipendiavit annis sex.
SAB.	Sabatina, <i>nempe tribu</i> .	S <del>β</del>	Stipendorum.
SAC.	Sacerdos.	SVB. SVC.	Suburana quae & Sucellana, <i>scilicet tribu</i> .
SAC. VG.	Sacerdos Virginis.	SVC. IVN.	Sucellana quae & Iunia, <i>utpote tribu</i> .
S. SOL.	Sacerdos Soli.	SVBROG.	Subrogasser.
SAL.	Salutem.	SVF.	Suffectus aut Suffecti.
SARM.	Sarmaticus: <i>in Imperialibus</i> .	SVM. MAG.	Summus Magistrati.
SCA.	Scaptia, <i>tribu scilicet</i> .	<del>SS</del>	Sestertij nota est. quae alias <del>HS</del> . & <del>HS</del> . & <del>TIS</del> . & <del>HS</del> . & <del>HS</del> .
SED. S. C.	Seditionis sedadae causa.	T.	Titus, <i>praenomen</i> .
SEQ.	Sequanus.	T. F.	Titi filius.
SER. & SERG.	Sergia, <i>utpote tribu</i> .	T. F. T. N.	Titi filius Titi nepos.
SER.	Servius, <i>praenomen</i> .	T. L.	Titi libertus.
SER. F.	Servij filius.	T. T. L.	Titorum libertus.
SER. F. SER. N.	Servij filius, Servij nepos.	T.	Tunna.
SER. L.	Servij libertus.	T. AVG.	Tutelae Augustae.
		T. F. I.	Testamento fieri iussit.

T. P. I.	Testamento poni iussit.	V. E.	Vir egregius; <i>aut</i> excellēs.
T. LEG. III.	Tribunus Legionis tertiæ.	V. P. & V. P.	Vir Patricius seu præfectus.
T. LEG. III. ITAL.	Tibicen, <i>vel</i> Tribunus Legionis tertiæ Italicæ.	V. P. P. P. H.	Vir præfectus, Præfēs, provinciæ Hispaniæ.
TAB.	Tabularius.	V. E. FL. AV. G. P. P.	Vir excellens, <i>aut</i> egregius, Flamen Augusti, <i>sive</i> Augustalis perpetuus.
TAB. P. H. C.	Tabularius provinciæ Hispaniæ citerioris.	V. S.	Votum solvit.
TABVL. XI.	Tabularius vigesimæ.	V. L. S.	Votum libens solvit.
TER.	Terentina, <i>tribu videlicet</i> .	V. S. L. M.	Votū solvit libēs merito.
TI.	Tiberius, <i>praenomen</i> .	V. S. P. L. L. M.	Votum solvit publicè, libens meritò. alterum enim L, superfluum esse reor.
TI. F.	Tiberij filius.	V. S. C.	Votum solvi, <i>aut</i> solvendum curavit.
TI. F. TI. N.	Tiberij filius Tiberij nepos.	V. S.	Voto suscepto.
TI. L.	Tiberij libertus.	V. D. D.	Voto dedicatum.
TON.	Tonsor.	V. S. I.	Vice sacra iudicans.
TR. MIL.	Tribuni militum, <i>aut</i> Tribunus militum.	V. V.	Valens Victrix, <i>sive</i> Valeria Victrix. Legionum epitheta.
TR. PL.	Tribunus plebis.	V. V.	Virgini Vestali.
TR. PL. DESS.	Tribuni plebis designati.	V. V. MAX.	Virgini Vestali maximæ.
TR. P. seu TRIB. POT.	Tribunicia potestate.	V. V. ET. V.	Valentini veterani & veteres.
TRIB. SVCC.	Tribus Succussana.	V. V. C. C.	Viri clarissimi, & Virorum clarissimorum.
TRO.	Tromentina, <i>scilicet tribu</i> .	V. V. E.	Vobis visum erit.
TRIVN. PPP.	Trium Publitorum, <i>forsan</i> .	V. AL. BYZAC.	Valeriæ Byzacænæ.
TVL.	Tullus, <i>praenomen</i> .	VEIEN.	Veientina, <i>tribu scilicet</i> .
TVR.	Turma.	VEL.	Velina, <i>tribu videlicet</i> .
⊙ &	Nominibus præpositū, mortuum <i>sive</i> mortuam significat.	VET.	Veturia, <i>nempe tribu</i> .
⊙. K.	Θεοῖς ἡγρὰ γ' ἑορταῖς.	VET.	Veterapus.
V.	Volerus, Volusus, <i>sive</i> Volpiscus. <i>praenomen</i> .	VET. AV. G. N.	Veteran⁹ Augusti nostri.
V.	Nominibus propriis in sepulchralibus aliquando præpositum, vivum denotat.	VET. LEG. II.	Veteranus Legionis secundæ.
V. F.	Victrix, fidelis. Legionum epitheta.	VIC. S.	Victoria Sicula.
V. F.	Vivens, <i>aut</i> Vivus, <i>seu</i> Viva fecit.	VIR. DIAN.	Virgini Dianæ.
V. F. S. ET. S.	Vivens fecit sibi & suos.	VOL.	Volusus, <i>praenomen</i> .
V. P.	Vivens posuit.	VOL. F.	Volusi filius.
V. B.	Viro bono.	VOL. N.	Volusi nepos.
V. C. & V. C.	Vir clarus, <i>aut</i> clarissimus.		

VOLT. Voltina, tribu scilicet.  
 VOT. Voltinia, tribu videlicet.  
 VOT. P. SVSC. Voto publicè suscepto.  
 VOT. P. SVSC. PR. SAL. ET. RED.  
 I. O. M. SAC. Voto publice suscepto pro salute  
 & reditu Iovi optimo  
 Máximo sacrum.  
 VOT. S. PR. R. CAES. Voto suscepto  
 pro reditu Caesaris.  
 V. PR. RE. CAE. Voto pro reditu Caesaris.  
 VOT. V. Votis quinquennialibus.  
 VOT. Q. Q. MVL. x. Votis quinquenna-  
 libus, multis decenna-  
 libus.  
 VOT. X. FEL.  
 VOT. XX. MVL. XXX. Votis viden-  
 nalibus, multis tricen-  
 nalibus.  
 VI. VIR. Sexvir, aut Seviri.  
 VI. VIR. AVG. Seviri Augustalis.  
 VI. VIR. VRB. Sexviri Urbani.  
 VII. VIR. EPVL. Septemviri epulonum.  
 VIII. VIR. OCTVM. Q. Octumvir iterum  
 Quinquennialitius.  
 VIII. VIR. III. AER. SAT. Octumvir  
 tertium aerari Saturni.  
 VIX. A. LII. X. Vixit annis quinquagin-  
 ta octo.  
 Φ. AN. & Θ. A. Vixit annis, vel mortuus  
 est anno.

x. Decimus, praenomen.  
 X. VIR. Decemvir.  
 X. VIR. AG. D. A. TR. IVD. Decemvir  
 agris dandis ad tributis  
 iudicandis.  
 XV. VIR. S. F. Quindecemvir sacris fa-  
 ciundis.  
 XX. HER. Vigesima hereditatum.  
 ✕. & ✕. Denarii notae sunt,  
 pro XXX.  
 Numerorum notae, antiqui-  
 tus magis quam nunc  
 usurpatae.  
 IV. Pro IIII.  
 IIIII. pro VI.  
 IIX. pro VIII.  
 XIIII. pro XVIII.  
 XXXX. pro XL.  
 XXX. pro LXXX.  
 CD. five CD. pro CCCC.  
 D. vel D. pro CCCCC.  
 ∞. pro M. Mille.  
 M. pro Millae.  
 clo vel A. pro Millae.  
 ∞ Io. Quatuor millia.  
 D aut K. Quinque millia.  
 A aut C. Decem millia.  
 A. A. aut C. D. Quindecim  
 millia.  
 A. A. aut C. C. Viginti  
 millia: & sic deinceps.

NOTA-

## NOTARVM ET LITTERARVM

SINGVLARIVM DICTIONVM QVE

CONTRACTIVS. SCRIPTARVM

in antiquo Calendario, explicatio.

## IANVARIO.

C.	Comitalé diem significat.
F.	Fastum.
N.	Nefastum.
NP.	Intercisum, seu attum.
AGON.	Agonalia, sive Agoniã. Ovidius.
CAR.	Carnientalia.
CAR.	Carmentalia, quae relata dicitur.

## FEBRVARIO.

LVPER.	Lupercalia. Plutarch. Ovi- dus, Varro.
QVIR.	Quirinalia. Festus, Ovidius, Varro.
FERAL.	Ferales feriae.
TER.	Terminalia. Ovidius, Bedas.
REGIF.	Régifugium Sacrum. Festus.
EQU.	Equiria. in campo Martio, Festus, Ovidius, Varro.

## MARTIO.

EQU.	Equiria, altera apud Tibe- rim, ullus si quis increverit in Coelio monte. Festus & Ovidius.
LIB.	Liberalia. Varro. quo die virilem togam pueri in- genii sumebant.
QVINO.	Quinquatria. Minervae natalis.
TVBIL.	Tubilustrium. Varro.
Q. REX. C. F.	Quando rex comitavit, fas.

## APRILI.

FORD.	Fordicidia. vel Fordica- tia, de forde bove, Ovidius, Varro.
ROS.	Robigalia. Plinius. Festus, Ovidius, Varro.
PAR.	Parilia. Romae natalis, Ovi- dus, Festus, Plutarchus, Varro & alij.
VIN.	Vinalia, seu Priora, de qui- bus Ovidius, Plutarchus, Varro, Plinius, & Festus.
CER.	Cerealia.
FLO.	Floralia. Plinius Kal. v.

## MAIO.

COMP.	Compitalia. Varro.
LEM.	Lemuria. quae noctu age- bantur, & triduo. Ovidius, Varro, Porphyrius. malum nubere & Luminaria.
LVD. MART.	Scilicet Ultoris, in Circo.
TVB.	Tubilustrium.
Q. REX. C. F.	Quando Rex sacrificulus comitavit, fas. Varro de Lingua Latina lib. v. Festus.

## IVNIO.

MART. I.	Marti I. Sacrum. Ovidius.
CAR.	Carnae Deae sacrum.
MONET.	Monetae Iunonis aedis di- catio. Macrobius, Bedas.
VEST.	Vestae sacrum & feriae Vestae.

b 2 MATR.

MATR. Matralia, *feſta Matutae.*  
Ovidius.

Q. ST. D. F. Quādo ſtercus delatum.  
(ſcilicet ab acde Veſtae)  
Faſ. Ovidius, Feſtus, Varro.

## IVLIO.

POPLIF. Poplifugium. *Varro.*  
LVD. APOLLIN. Ludi Apollinares.  
*Varro.*

MERK. An ſint Mercurialia, conſi-  
derandum.

LVCAR. Lucaria. *Varro, & Feſtus.*

VICT. CAES. Victoria Caefaris.

NEPT. Neptunalia. *Varro.*

FVRR. Furrinalia.

## AVGVSTO.

C. CAESAR HISPANIAM ſcilicet cie-  
riorem, VICIT.

PORT. Portūnalia. *Varro.*

VIN. F. P. Vinalia feriae publicae ſe-  
cunda (urpote) quae & ru-  
ſtica dicitur. *Varr. ruſtica*  
*Vinalia intelliguntur. XIII.*  
*Kal. Septembr. Feſtus.*

CONS. Conſualia, *Plutarchus in*  
*Numa.*

VOLC. Volcanalia, in Circo Fla-  
minio. *Varro.*

OPIC. Opiconſiva, in Capitolio.  
*Varro.*

## SEPTEMBRI.

EQVOR. PROB. Equorum probatio, cu-  
ius feſti meminit Valerius  
Maximus lib. II. cap. I.  
*de Equeſtr. ordin.*

## OCTOBRI.

MEDITR. Meditrinalia. *Varro.*  
AVGVST. Auguſtalia. *Plinius lib. VII.*  
*cap. XLVIII.*

FONT. Fontinalia. *Varro.*  
ARM. Armiluſtria. *Feſtus, &*  
*Varro.*

## NOVEMBRI.

EPVL. INDICT. Epulum indictum.

LVD. PLEB. Ludiplebeij, quos ſaepe no-  
minat Livius. *Vide de eiſ-*  
*dem Aſconium Pedianum.*

## DECEMBRI.

SAT. Saturnalia. *per tres dies*  
*durant: quibus adduntur*  
*Sigillaria, quae ſeptem*  
*dies complent. Macrobius.*

OPAL. Opalia. *Macrobius, Varro.*

DIV. Divalia. I. Angeronalia.  
*Macrobius, Varro.*

LAR. Laralia. *Plinius, alij &*  
*melius fort aſſi, Laren-*  
*talia, legunt, de quibus*  
*Ovidius lib. III. Faſt.*  
*Acceptas geniis illa De-*  
*cember habet. & Var-*  
*ro idem ſentit lib. v. &*  
*Plutarchus in probl. ubi*  
*diverſam eſſe Larentiam*  
*vulgaſiſſimū ſortum ab*  
*ea quam Romū fuiſſe*  
*nutricem ſerunt, ait.*

EXEM-

EXEMPLAR SENATVSCONSVLTI  
 QVO HVBERTVS GOLTZIVS CIVITATE  
 ROMANA DONATVS EST.

STEPHANVS PAPANIVS, HIERONYMVS GROSSVS, HIERON.  
 BVBALVS ALMAE VRB. COSS. AD POSTERITATIS MONVMENT-  
 TVM, HIS LITTERIS SCIRE OMNES VOLVIMVS INTER PRAE-  
 CLARA MAIORVM ROMANORVM INSTITVTA ILLVD FVISSE  
 PRAECLARISSIMVM, INSIGNES SCILICET VIRTVTE ET PROBI-  
 TATE VIROS AVGENDAE REIPVBL. GRATIA, CIVITATE DONA-  
 RE, VT PRAESTANTISS. CIVIBVS AVCTA, DOMI FORISQVE  
 OMNIUM NATIONVM RES GESTAS SVPERARET. QVORVM NOS  
 IMITATIONE ATQVE EXEMPLO PYRRHO TARIO I. V. D. HECTO-  
 RE MUTINIO, VINCENTIO RVBEO TRIBVS EX QVATTVORVI-  
 RIS CIVITATIS DONANDAE FREQUENTIQVE SENATV ASSI-  
 STENTIBVS, HVBERTVM GOLTZIVM HERBIPOLITAM  
 VENLONIANVM, BENE DE ROMANA REPVBL. MERITVM,  
 CVIVSQVE VIRTVS SINGVLARISQVE ERGA ROMANVM NOMEN  
 OBSERVANTIA CVM PRAECLARISSIMORVM CIVIVM TESTIMO-  
 NIO, TVM EDITIS NVPER SCRIPTIS SENATVI PLANE CLARVIT,  
 CIVEM ROMANVM EX S. C. CREAVIMVS, CREATVM IN SENA-  
 TVM VENIRE, MAGISTRATVS GERERE, IVS FERENDI SVFFRA-  
 GII HABERE, SACERDOTIA OBTINERE, BONA EIVS LIBERA AT-  
 QVE IMMVNIA ESSE, CETERISQVE ROMANORVM CIVIVM HON-  
 NORIBVS ATQVE PRIVILEGIIS HONESTARI QVIBVS ILLI  
 FRVNTVR QVI CIVES ROMANI NATI AVT IVRE OPTIMO FA-  
 CTI SVNT, DECREVIMVS ET CENSVMVS. EA TAMEN LEGE, VT  
 VRBEM ROMAM, SICVT OPTIMVM QVEMQVE CIVEM DECET,  
 SVA VIRTVTE ATTOLLAT, FIDELITER A QVOCVMQVE VE-  
 XANTE TVEATVR, IVRA PONTIFICIA ROMANIS CONCESSA,  
 ATQVE SENATVS CONSVLTA OBSERVET, ROMANOSQVE OMNI  
 DILECTIONE PROSEQVATVR. DANTES SCRIBIS SENATVS  
 P. Q. R. AVCTORITATEM, FIDEI ERGO ATQVE AD PERPETVAM  
 POSTERITATIS MEMORIAM, ACTA HAEC ATQVE DECRETA IN  
 PVBLICAS TABVLAS SVBSCRIPTIONE REFERRE CVM SIGIL-  
 LI S. P. Q. R. APPENDICE. DATVM IN PALATIO CAPITOLINO  
 VII. IDVS MAI. M. D. LXVII.

IVLIVS HOROLOGIVS SCRIBA S. P. Q. R.  
 HORATIVS FVSCVVS SACRI S. P. Q. R. SCRIBA.

## A D HVBERTVM GOLTZIVM

HERBIPOLITAM VENLONIANVM

CIVITATE ROMANA DONATVM,

IOAN. POSTHII GER-

MERSHEMII MED.



*E patria magni lis magna exarsit Homeri,  
Septem urbes Civem quem voluere suum.  
Tu maior: nam te sibi vindicat inelyta Civem  
Flandria terra suum, Teutonius ora suum.*

*At quoniam illustras veteris decora ardua Romae,*

*Asserit & Civem te tua Roma suum.*

*Ergo donec erunt Germania, Flandria, Roma;*

*Semper honos, GOLTZI, viuet in orbe tuus.*

*Vivet & irriguas pulcherrima Laurus ad undas,*

*Praesidio cuius, quod facis, omne facis.*

## D'ANIELIS ROGERII ANGLI

A D E V N D E M.

*Cuiatem te HVBERTE putem? vin' Tuiscona dicam?*

*Parte Sicambrorum vel rear esse satum?*

*Nam dedit HERBIPOLIS proavos Germana genúsque,*

*Alma sed est partus conscia VENLO tui.*

*Asserit at. Civem te BRUGA suámque professa*

*Contendit reliquís de patria illa tuâ.*

*Tres igitur de te certant urbésque, plagatque,*

*Quid tres? ROMA negat, téque ait esse suum.*

*Virtutisque ergo donatos, Civis honores,*

*Romanum ingenio, téque suum arte probat.*

*Dum moror híc, dubiámque trahit sententia mentem,*

*Nec satis expedio litibus hisce caput,*

*Inelyta Romanis repetit te Civibus Hellas,*

*Vendicat & Civem Graecia magna suum.*

*Quare tot pressus dubij dum consulo Phoebum,  
 Ille aurem vellens, reddidit ista mihi:  
 Incassum quaeris, qua GOLTZIVS urbe sit ortus,  
 Ducitur à superis cuius origo plagis.*

EIVSDEM AD EVNDEM

*Antiquas quòd opes, duces, triumphos,  
 Leges, templa, Deos, decúsque priscum,  
 Romae restituas novae, suae urbis  
 GOLTZI, te facit illa grata Civem,  
 Ac quernà decorat tuas coronà  
 Comas civibus ob suam salutem  
 Post tot saecula tuà arte restitutam.  
 Hoc contentus honore, quem labori  
 Grata reddidit urbs tuo acquiescis.  
 Sed victoria maior est coronis,  
 Par corona nec ulla tot trophaeis.  
 Nam, quid maius opiner esse? Civem  
 Creasse, an statuisse civitatem?*

A DEODATI MARIVORDAE  
 BRVGENS. AD EVNDEM.

*Languere virtus praemia si absint creditur;  
 Languere virtus GOLTZE ne possit tua,  
 Te orbis Senatus Civibus accenset suis.*

ADOL-

A D O L P H I M E K E R C H I  
 B R V G E N S I S , F R A N C O N A T V M S E -  
 N A T O R I S P E R P E T . E P I G R A M M A ,

quo Auctoris nomen, cognomen, patria, ortus, domicilium, ciuitas, & opera tam edita quam edenda notantur.

*Edidit HVBERTVM Venlo sub luminis auras,  
 Illius & proanos & genus Herbiopolis.*

*Bruga magis felix, quæ tecta larèsque benignos  
 Artifici dextrae praebet & ingenio.*

*Inuidit Latium, & Latij caput inclyta Roma,  
 Roma peregrinis gentibus aqua parum.*

*Ac, sibi ne tantum decoris laudis ve deesset,  
 Ciuibus adscripsit GOLTZION Ausoniis.*

*Et merito: quia nemo alius, qui moenibus urbis  
 Semirutis humeros supposuisset, erat.*


*Sed ne Roma tumesce nimis: nam Graecia ciuem  
 Hunc à te repetet, surripictque breui.*

*Tunc iterum viuent Thebae, Sparta, Argos, Athenae,  
 Totaque, surget ouans Hellados Hellas humo.*

*GOLTZIVS & viuet, donec Venlo, Herbiopolisque,  
 Bruga erit, & Latium, Graecia donec erit.*

E I S T H N

ΕΙΣ ΤΗΝ ΤΟΥ ΟΥΒΕΡΤΟΥ ΓΟΛΤΖΙΟΥ ΕΙΚΟΝΑ  
ΑΔΕΟΔΑΤΟΥ ΜΑΡΙΒΟΡΑΑ ΕΠΙΓΡΑΜΜΑ.



Σώματος εἰκόνα ἔστι τῆ ΓΟΛΤΖΙΟΥ εἰκασίς Μᾶρος,  
ἀλλ' αὐτῆ ψυχὴ καὶ νόον εἰ δίδασται.

IN EFFIGIEM HVBERTI  
GOLTZII AB ANTONIO MORO

EXPRESSAM, ADEODATI MARI-  
uordae Epigram, sub Goltzij persona.

SI verum vultus habitum formamque requiris,  
*Quae mihi inest; tabula hac nil mage mi simile:*  
*At si animum dotisque animi ingeniumque requiris,*  
*Quod mihi inest; tabula hac nil mage dissimile.*

EIVSDEM.

*More quod adfectas faciem depingere GOLTZI,*  
*Laetor; at est anum quod tamen hic doleam.*  
*Oro quid hoc inquis? dicam: dum reddere formam*  
*Niteris, & mentem reddere te cupiam.*

LVCAS FRVTERIVS BRVGENSIS  
APVD INFEROS LVDEBAT.

OBTVLIT exiguo desculptum GOLTZION aere  
*Morus Avernali traÿciendus aqua.*  
*Miratúsque Charon, haec te, inquit, ianua habebit.*  
*Nummule, & in stygiis fixit eum foribus.*  
*Agnosco effigiem civis Fruterus, & addo,*  
*GOLTZIVS hic saeculi est AVREA palma sui.*

GOLTZII EFFIGIES LOQVITVR.

*Me scitè arguto Morus depinxit in aere,*  
*Vna sed est mutae vita negata mihi.*  
*GOLTZIVS haud tulit hoc, vitamque afflavit, & idem*  
*Vocalis tribuit mobilitatis opus.*

ΙΩΑΝΝΟΥ ΤΟΥ ΓΕΛΔΡΙΟΥ ΦΛΑΝΔΡΟΥ.

Γράφειν Αλεξάνδρε χαριέντως κλεινός Απελλής:  
Τὸν κὶ Λύσιππος γλύφειν ὄπισθ' αἰμένως.  
ἀρ' ἐχ' ὄδῃ γράφοι Μῶρος, γεφύρωτος ἀνὴρ,  
ἀνδρα τὸν ἐκ τόσσων λαμπρὸν ἔοντα βιβλῶν;

EIVS-

## E I V S D E M.

*Clarus Alexandrum scitè depinxit Apelles:  
 Artèque, Lysippus cudit in aere, pari.  
 Morus item celebris non sic quoque pingeret illum  
 Quem clarum reddunt tot monumenta virum?*

## FRANCISCI BRYCHOVII BRVGENSIS.

*Reddere non sat erat nutus, oculosque tabella  
 Subiecisse oculis More, nec ora satis:  
 GOLTZIUS ingenium nisi & expressisset, & arte  
 Quaesisset nomen, perpetuumque decus.*

## E I V S D E M.

*Morus ut in tabula vivos est reddere vultus  
 Conatus, GOLTZI, dexteritate, tuos.  
 Sic quoque tu studiis animum melioribus augens  
 Vivis, & aeternum vivere posse doces.*

## Τ Ο Υ Α Υ Τ Ο Υ.

ΓΟ'ΑΤΖΙΟΣ ἐν βίβλῳ; Μῶρος τί ἐν εἰκόνι δηλοῖ;  
 Τίπτ'; ὅφιν Μῶρος: ΓΟ'ΑΤΖΙΟΣ ἐφύτασ.

## E I V S D E M.

*GOLTZIUS in libro? quid Morus imagine monstrat?  
 Quid? Morus vultum; GOLTZIUS ingenium.*

## GVILIELMI LYKERCHI BRVGENSIS.

*Vt rerum inclusas reddit transfenna figuras;  
 Sic animi formam, corporis haec reteggit;  
 Quàm bene conveniat menti cum corpore, pulchrè  
 Scilicet hac docuit Morus in effigie.*

## PHILIPPI POELARII BRVGENSIS.

*Vivere si quemquam post funera posse putamus,  
 GOLTZIUS exigua vivet in effigie.  
 Ingenium, quod non potuisti scalpere More,  
 GOLTZAEAE expediunt scripta diserta manus.*

## E I V S D E M.

*Restituis patriae qui libertatis avitae  
 Iura, olim celebri dignus es effigie:  
 Rectè igitur, GOLTZI, Morus tibi coela peregit;  
 Praemia ut à grata posteritate feras.*

## E I V S D E M.

*Quisquis ab exscalpta venaris imagine famam,  
Nil agis; at laudem fortia facta parant.*

GOLTZIVS effigiem meruit cum nomine: docta,

*Quae'que dedit Morus coela peracta, manu.*

*Si minus ingenium praesenti subditur arti,*

*Pictorem GOLTZI Graecia magna iuvat.*

## ΕΙΣ ΤΟΝ ΤΟΥ ΕΛΛΟΓΙΜΩΤΑΤΟΥ

ΟΥΒΕΡΤΟΥ ΓΟΛΤΖΙΟΥ ΓΕΡΜΑ-  
ΝΟΥ ΘΗΣΑΥΡΟΝ,

ΑΔΡΙΑΝΟΣ ΛΩΠΙΟΣ ΒΡΟΥΓΓΙΕΥΣ.

Δμήτφρ' ἰταλικῆς πάλαι ἢ Γερμανία αἴης  
Ζεύει ἐλευθερίας σιληρῶν ἔθλιψε λόφος.  
Μηδ' αἴλις ἦν, χαλεπῶν βλάψαι ῥωμαῖα σιδήρῳ,  
ἀγρία ποινάϊος φθεῖρεν ἅπαντα πυρί.  
Τῶτε ὄλη μαρίλην εἰς λεπτήν ῥώμη ἀπῆκθεν,  
Οὔτε τε πρῶθ' ἔργον φαίδιμος εἶχε καλόν.  
Τῶτε κονιδέντες, ὡ ταύτης ἀθλιότητος,  
μάρμαρ' ἀνά σήλαις ὄλασι ταῖς ἰδίαις.  
Ὡν ὄποθρεῖσματα πάντα, καὶ ἐγκαταλείμματα πάντα  
οἱ δ' ἄπο τῆσ' ἡρώωνοί βάρβαροι ἠπάτεον.  
Ἄντα δὲ θαυμάζει τὰ, ὁ νῦν μακαρώτερος αἰών,  
μοχθηρῶς τ' ἐξηρημνῶσα συλλέγεται.  
Ἀλλὰ τὸ τῆσ' ἡρωῶνων βλάπτει Γερμανία αἴχος,  
καὶ ἐθέλοι σπυγῆς μήποτ' ἔχειν παλάμας.  
Καὶ ἀπὸν ἐμπέσθαι δῶ τεράματα ἐπαλθεῖ, ἐφ' ὅπῃ  
εἶναι Σωτῆρα ὅς πάλαι ἐχθρὸς ἔην.  
Νῦν γὰρ γερμάνοιο τέως ὄργην στρατώε  
Κλαῖεσ' ἀρχαῖον παῦε σμυός τε κακόν.  
Καὶ γὰρ ἴδε βλαβερῶν πυρτῶν, μέγα θυῦμα, τὸ χάρτος  
Καὶ ξίφος καλαμὸς πᾶν ἀλίτημα φέρει.  
Οὐδὲ τόσας ἢ χεῖρ σσι ἀνοικτος ἀπῆυρε πολίτας  
Ὅσας νῦν σώεις χεῖρ λόγιος σοὶ ἄγει.

IN HV-

IN HVBERRIMVM TOTIVS  
 ANTIQVITATIS HVBERTI GOLTZII  
 THESAVRVM, M. HADRIANVS LOPIVS  
 Brugensis & officij & operis argumentum posuit.

VRBIS opes Dominae, & patriae decora inclyta Romae,  
 GOLTZIVS è tenebris, Lauróque Auróque superbus,  
 Praeteritae luci pius asserit; & THESAURO  
 Exhaustam aeterno Romam Romanus inaurat.  
 Scilicet, olim Italiae domitrix Germania terrae  
 Vertit in exiguas monumenta antiqua favillas:  
 Nunc eadem reparat melior; nec Martia quondam  
 Dextera, tot Latiam viduavit civibus urbem;  
 Quot modo docta manus Stygiis tibi vindicat umbris.  
 Prima instauratis antiqua repullulat aris  
 Relligio, & veterum emergunt delubra Deorum:  
 Priscaque cum vario collegia sacra paratu:  
 Atque triumphantis felicia nomina Romae.  
 Inde tibi longo procedunt ordine cuncti  
 Induperatores; iunctaæque suis Augustae  
 Basia Caesaribus redivivae pristina didunt.  
 His se militiae subiungit forma vetustae,  
 Totus & aeratis exercitus adstrepit alis.  
 Purpurei sequitur trabeata caterva Senatus;  
 Et revocata suae titulorum insignia vitae,  
 AVREAM honoratis obducunt frontibus umbram.  
 Tum domus Augustae privataque munia surgunt;  
 Multiæque Romuleis habitantia corpora septis:  
 Et quascumque fovet respublica nobilis artes:  
 Et structurarum spectacula resarta priorum;  
 Quæque diu miseris loca deperiere ruinis,  
 Illustres victorum arcus, celsique obelisci,  
 Muri, horti, circi, pontesque, scholæque, viæque,  
 Frigidæque inlimes nymphæa vomentia fontes,  
 Et fora, & excelsis subnixa theatra columnis:  
 Et fasti docto quos Flavius edidit albo;  
 Quæisque rudis certum metitur rusticus annum:  
 Romanæque tribus; & chorographus labor; atque  
 Omnis ab Oenotrio deducta colonia regno,

Municipisque Itali, & priscis quotcumque leguntur  
 Externi Reges, aut Reginae monumentis.  
 Nominâque Argolicae propria exagitata monetæ;  
 Et facilis subit historiae totius elenchus.  
 Denique GOLTZAEI quo tandem optata labores  
 Finis adornet opus, portumque carina subintret;  
 Grammatica obscuris aenigmata caeca latebris  
 Expedi, & rectae scripturae discutit artem;  
 Et contractarum dat significata notarum.  
 Exere Roma caput nullis felicior annis:  
 Tu quoque plaude tibi fatis melioribus Argos:  
 Namque piis Magni vos auspiciis FVGGERI  
 Huberat huberibus HVBERTAS AVREA SAECLIS.

ADEODATI MARIVORDAE  
 BRUGENSIS.

AETernis olim clarum bellique togâque  
 Augustum ipsa Venus sedibus apposuit,  
 Româque divinos olli decrevit honores,  
 Virtutisque ergo constituit statuas;  
 Attamen has seu longa dies, sive invida fata,  
 Seu potius nostra incuria perdiderat:  
 Tempia, aedes, arae, circi, amphitheatra, obelisci,  
 Antiqua in caecis obsita erant tenebris:  
 Pessum ierant, nec per quem instaurarentur habebant,  
 Adfectis rebus nemo ferebat opem.  
 Roma diu doluit. vidisti HVBERTE, operamque  
 Pollicitus Lauro fretus Apollinea,  
 Tempia, aras, aedes, circos & mausolea,  
 Aera vetusta, pylas, pyramidas, statuas  
 Turpibus è tenebris in dias luminis oras  
 Profers antiquum restituens Latium.  
 Nec sat id, at mox Ausoniis digressus ab arvis  
 Trinacriam, Corcyram, Hellada utramque obiens,  
 Et reliquas vasto divolsas aequore terras,  
 Barbara quas dudum obriverat illuvies,  
 Eripis; & Dominæ rursus pius adseris urbi;  
 Antiqui referens pristina signa fori.  
 Denique ut haec uno stent congesta omnia libro;  
 THESAURO hoc cunctas GOLTZE recludis opes.

*O nimium nostro felicem tempore Romam,  
Talem cui Civem evenit habere hominem!*

FRANCISCI MODI BRVGENSIS I. C.  
AD HYBERTVM GOLTZIUM.

*Vin' dicam GOLTZI? non sum qui curo placere  
Carminibus: satis est si placeo obsequio.  
Hinc est, cur quid me fiat securus, & illis  
Quos legis hac ipsa versiculos tabula:  
Nil ultra cupiens, tibi quam fausti ominis ut sint  
Dicti; alios iubeo res sibi habere suas.*

EIVSDEM  
DE EODEM IN THESAVRI HVIVS  
COMMENDATIONEM CARMEN.

*Caesareos vultus, à primo, ex ordine ad usque  
Ipsum, anno è vivis qui ad superos abiit;  
Aeternae gentis res gestas, bella, triumphos,  
Quis premit imperio solis utramque domum;  
Virtutem invictam, Magno quae nominis huius  
Eripuit famam, & vincere dedocuit;  
Qui clusit Ianum, & pacem altam praestitit, orbis  
Qua patet Eous, qua patet Hesperius;  
Trinacriam Ausoniae sic iunctam, ut dicere posses,  
Partem iterum esse suae Siciliam Italiae;  
Vidimus hoc tantum restabat; discere porro,  
Eruta tot facerent cui monumenta bono.  
Sensit; & haud tulit ulterius promissa reposci,  
Hoc uno à pueris deditus in studio  
GOLTZIUS, ut patriae sibi commoda prima putans, re  
Firmet, quod scriptum in fronte animoque gerit.  
Verum hunc THESAVRUM lectum è meliore metallo  
Fructu, usu, doctos iussit habere sibi.  
THESAVRUM, è quo non irritamenta malorum,  
Sed quae animum teneant, effodientur opes.  
Res mira omnino, saeculis praesentibus unum  
Id facere, olim quod milia multa hominum  
Dum tentant, frustra; ut loquitur res ipsa, fuere,  
Vt qui humeris subeunt viribus impar onus.*

*Res mira,*

*Res mira, unum oblita reponere posse tot annis  
 Non intellectis obruta verba notis.  
 Mira inquam, & non mira tamen, qui cogitat, artem  
 GOLTZI, posse omne id quod pote nemo alius.*

IOANNIS GEVARTS CARMEN.

*Barbara nunc cesset dici Germania, sedes  
 Transtulit huc Phoebus, Pieridisque suas.*

AMICITIAE AEVITERNAE SACR.

LVDOVICVS GARRIO L. C.

*COLLAPSAS veterum effigies flavissa deorum,  
 Et fractas priscae religionis opes  
 In Capitolini servat Iovis aede: profana  
 Nequa manus tactu polluat illa suo.  
 Tu GOLTZI, veteris nummos & signa monetae, &  
 Quod de Romanae est gentis honore super,  
 THESAURO includis, fato meliore: Vetustas  
 Dentibus illa suis ne atteruisse queat.  
 Et tamen haec vulgo vulgans, lucique benigne  
 Restituens, gaza nos locuplete beas.  
 Scilicet occultum perit argentum; aes, perit aurum.  
 Se vulgata magis cuique moneta probat.*

DANIELIS ROGERII ANGLI, AD

HVBERRIMVM THESAVRVM

HVBERTI GOLTZII.

*ATTALICIS olim Theauris Graecia pollens,  
 Illustres inter nomen habebat opes:  
 Nec minus auriferas iactaverat India dotes,  
 Clara fuit gazis Persidos ora suis.  
 Singula magna quidem: sed si quis cogat in unum  
 India quae, Persis, quae simul Hellas habet:  
 Inferiora tuis THESAURIS omnia credam,  
 Tam verè HVBERTAS dives HVBERTE, tua est.  
 Concedant igitur tibi Persia & India & Hellas,  
 THESAVROS que legat quaelibet ora tuos.*

## GVILIELMI PANTINI MEDICI

BRVGENSIS, IN HVBERTI GOLT-  
ZII THESA VRVM.

POSCIS opes, & opem? THESA VRVM quaeris? adesdum,  
 Hoc ex THESA VRO divite dives eris.  
 Seu te, vis fandi, seu te sapientia ducit,  
 Hic cubat HVBERTAS AVREA cuique sua.  
 HVBERTAS fandi, & sapiendi copia: numquid  
 Abdier HVBERTAS plenior ulla queat?  
 Effodit, exsculpit tibi GOLTZIVS ista: vetustis  
 E nummis, tabulis, marmoribusque suis.  
 GOLTZIVS ut dico, me dicere velle putabis,  
 AVREVS & Dius, mente, labore, manu.

## AD ROMAM HVBERTI GOLTZII

CIVIS ROMANI INSTA VRATAM.

M. HADRIANVS LOPIVS.

MAIOR ut immensum fulgeres Roma per orbem,  
 Pro meritis pridem non satis ampla tuis:  
 Exornat nostri te HVBERTAS AVREA SAECLI;  
 AVREAM & è solido GOLTZIVS aere locat:  
 Quæque olim acternis monumenta sepulta tenebris  
 Surpuerat nostris tempus edax oculis,  
 Ille tuus Civis superas diffundit in auras,  
 Inque suum revocat clarificata decus.  
 THESA VRVM ille suum gratus tibi, Roma, recludit;  
 THESA VROS illi tu quoque prome tuos.

## IN ROMAM HVBERTI GOLTZII

REVIVISCENTEM,

MELIOR BARLAEVS ANTVERPIAN.

QVI petit Italiani videat quò moenia Romae,  
 Et tanta pulcrum quidquid in urbe fuit.  
 Errat is, abscesit Latio sua gloria regno,  
 Pressat Iulacos terra ruina Lares.  
 Non vetus HVBERTAS illic, Capitolia lauri  
 Non cingunt, Tiberi nec famulantur aquae

*Antiqui species rediit miser ab ilis aevi,  
 Facta, quod AENEAE tempore ROMA fuit.  
 Iuppiter è nuda rursus sua fulmina rupe  
 Proiicit, admisso pulsus ab hoste quater.  
 Saecula Romuleo non defectura labori,  
 Rite, sed haud illo fata dedere loco.  
 Romulea hîc LAURUS, priscae HVBERTAS'que monetae,  
 Quae fuit à Pyrrhi tempore cusa ducis.  
 Hîc alius Thybris fluit, hîc praesente licebit  
 Cum ducibus Latij Caesaris ore frui.  
 Hîc quoque surrexit iam ter magis AVREA ROMA,  
 Nec cupit Italiae regna videre suae.  
 Laetâque felici merito nunc sorte, ruinis  
 Omne meis Latium flebile vivat, ait.  
 Namque alio HVBERTVS revocat me GOLTZIUS, & iam  
 THESAURO exhaustam perlocuplete beat.*

**HVBERTO GOLTZIO**  
**ANTIQUITATIS REVIVISCENTIS INSTAV-**  
**RATORI BENEMERENTISSIMO,**

**RESPUBLICA LITTERARIA HOC**  
 honoris monumentum dicabat, consecrabátque.

**HVBERTATI AVREAE SACRVM.**

*MAGNANIMI Heroes, quos olim prima iuvandis  
 Progeniit tellus mortalibus, exoptatum  
 Respondere suis meritis sensere favorem,  
 Post ingentia facta, deorum in templa recepti.  
 Nostra etiam priscis nil concedentia saeculis  
 Saecula, uti quae tu facis AVREVS, AVREA, GOLTZI,  
 Eisdem nec temere te honoribus amplexantur.  
 Post instauratum Latium, ereptamque ruinis  
 Graeciam, & immensum tot divulgata per orbem  
 Ingenij monumenta tui, anteaetique laboris,  
 Pignora THESAURO pulchrùm cummulata recenti;  
 Hanc solido, GOLTZI, tibi marmore ponimus aedem:  
 Nos tua ubi pleno celebrabimus annua coetu  
 Orgia, teque tua cum coniuge compellantes,  
 Huber tus HVBERTE tuis adolebimus aris.  
 Tu nobis etenim semper-Deus, HVBERTASque  
 HVBERTI sacra erit, solioque locabitur aureo.*

211

INGENIOSISSIMO OMNISQUE ANTI-  
quitatis callentissimo viro D. Huberto Goltzio Her-  
bipolitae Venloniano, civi Romano,

IANVS DOVZA NORDOVIX, HOC SVI  
TESTIMONIUM EXTARE VOLVIT.

INGENIO pretium esse tibi par gratulor, & me  
Laetitia lactum nunc iuvat esse tua.  
Felix GOLTZI animo, felix rerum Antiquarum,  
Sive VVATERFLIETI munere, sive tuo.  
Aevi huius tu Varro cluis; flos nobilium ille,  
Sive sit ingenij, seu magis artis opus.  
Singula conveniunt, fulvo tu nomen ab Auro,  
A Lauro titulos ille, GVIDÓque gerunt.  
Illud dividiae est nobis HVBERTI, quod Auro,  
Aut Lauro dignum nil tibi conferimus.

IOACHIMI TYDICHII BERLINENSIS, MAR-  
CHITAE, IN NOMEN HVBERTI GOLTZII,  
SIVE AVREI, ΑΚΡΟΣΤΙΧΙΣ.

Herbifer irriguo prolabitur agmine Moenus,  
Vberibusque beat rura propinqua satis.  
Bellacésque rigans, quos fert Germania, Francos,  
Exoneratur aquis, maxime Rhene, tuis.  
Res etiam loquitur, pariat quòd is VBERE cornu  
Turgidulus venis AVREA frustra suis.  
Vber in his omen verbis consistit, habentque  
Summa equidem levibus pondera litterulis  
GOLTZIVS è fulva dans AVREA saecula dextra  
Optimus, est AVRI pars bona, Moene, tui.  
Luminis ille sui Moeni primordia ripis  
Traxit, & AVRATVM nomen & omen habet,  
Scilicet hoc AVRO Germania Romaque lucet;  
Illa dedit vitam, Civis at ista locum.  
Venit lis gravis inde: suum Germania natum,  
Sic Civem repetit Roma Latina suum.

ADOLPHI MEKERCHI BRVGENSIS, FRANCO-  
NATVM SENATORIS PERPETVI, IN NOMEN HVBERTI  
GOLTZII SIVE AVREI ALLVSIO.

AVREVS auratas voluit Paetolus arenas,  
Argentum profert India, ut aera Cyprus:

HVBERTAS, HVBERTE, *tua haec huberrima, multo  
 Huberius certè fluminis huber habet:*  
*Nam vehit argentum, vehit aes, aurum vehit alveo  
 Omne, quod AENEADUM prisca moneta tulit.  
 Protegit hoc flumen Laurus viridante sub umbra,  
 Undifluas Laurus confita propter aquas.  
 Cui non ulla suos vis perturbabit honores,  
 Non Auster virides auferet imbre comas:  
 Sed patulis fulgur ramis, sed dira venena  
 Arcet, & à ripis noxia quaeque fugat.  
 Naiades hoc Satyri, Dryades, Pan, Phoebus, Athena,  
 Hoc Charites gaudent flumine, & Aonides.  
 Vos me, Pierides, quoque in haec damnate metalla,  
 Has studio ut venas huberiore colam.*

CAROLVS VTENHOVIVS F.  
 ANTIQVITATIS HVBERRIMAE INSTAVRATORI  
 HVBERTO GOLTZIO IN AMICITIAE SYMBOLVM  
 scripsit Brugis Anno M. D. LXVI. Prid. Id. Aug.

HVBERE *cum Latio totas cui mater Athenas  
 Creditur huberibus provoluisse suis,  
 Huber & huberius per quem fluit Hippocrenes,  
 Hubera lactenti cui dedit alma Charis:  
 Nomen ab ingenij tulit HVBERTATE venustum,  
 Illud ab huberibus ni tulit huberibus.*  
 ΟΥΘΕΝ-Ο-θεωροισιο-ΒΙΟΣ πλε νοςφι θεοιο.

M. HADRIANVS LOPIVS.

HVBERTUS *alij tibi dant HVBERTE Poetae;  
 At tibi nostra suas HADRIA fundit aquas.*

ADEODATVS MARIVORDA.

EN, *iterum; studiosa cohors; huber Thesaurus,  
 Huberis HVBERTI manat ab huberibus.*

NICOLAVS COLVIVS BRVGENS.

HVBERTUS & HVBERTIVS, *suntque hubera semina mentis,  
 Huberis & pollet dotibus ingenij.*

CLARIS.

# CLARISSIMO VIRO INSIGNI VIRTUTE ET LAVDE PRAEDITO

D. HVBERTO GOLTZIO HERBIPOLITAE  
VENLONIANO CIVI ROMANO, OMNIS ANTIQVITATIS IL-  
LVRSTRATORI ET HISTORICO CELEBERRIMO,

GEORGIVS FABRICIVS CHEMNICENSIS

S. D.



**B**EASTI me, ornatissime Goltzi, quòd me domi mea allocutus es hâc. transiens, nam quem observari non visum, eum nunc amo, & colam dum vixero omni tempore: & debeo tibi pro ista tua humanitate, & referam etiam quod potero, & gratificabor, quacumque in te poterò, nam tua virtus, diligentia maxima, eruditio, industria, tantarum rerum cognitio & iudicium ita mihi placent, ut vix ullius hominis, amplius. Cùm itaque ex te audivissem, prae manibus, immo sub praeco, te habere Caesarem Augustum summis in votis habui ut carmen quoddam à me factum, mediocris quidem venae in eundem Augustum, ad te statim mitterem: id si boni consulueris, facies nova nostra amicitia dignum, idque ut facias, oro. Muto ad te doctissime Goltzi plerasque ex marmoribus antiquis inscriptiones, quae spectantur & leguntur in Epiro, Acarnania Aetolia, Phocide, Achaia, Peloponneso, Attica, Thessalia & Macedonia, tam Graecas, quam Latinas, quas nobilis quidam mihi manuscriptorias dedit, nonnullas ante hoc tempus non excusas, quae etsi obscuriores, tum ob temporum iniuriam, tum ob exceptoris descriptorisque, nescio quam negligentiam, merito videbuntur; ino tamen Thesaurum multum adferre lucis poterunt. Immo vero confido fore, ut quicumque re ipsa senserint, quantum ad plenam totius antiquitatis cognitionem. HVBERRIMO ILLI IVAE HVBERTATIS THESAURO, in meis subsidij atque adiuventi positum sit; plurimum sese hoc mihi nomine debere profiteantur. Hoc autem omnibus restatum volumus, opus tuum & nobis & doctissimo Joachimo Camerario ab omni parte placere, talèque videri, ut nihil in eo sit, de quo amplius quaeri possit, cui nostro calculo non dubitamus, quin reliqui omnes docti accessuri sint. Tu interim hoc in Fabricij, quem praesentem videre non contigit, vicario munere, integerrime Goltzi, frueris; & in eruenda oblitteratae antiquitatis vestigia quod facis, incumbere: opus arduum profecto & difficile; sed quo tu te nobis fata reservasse ac destinasse videntur. Quid enim hac in palaestra singulari illa tui ingenij possit dexteritas; non unus annorum superiorum labor docuit; & diffusa per totum terrarum orbem aeterna cognitionum tuarum monumenta, abunde restatum relinquunt. Vale feliciter ingeniosissime Goltzi, & hoc, quod fortè occurrebat, distichon in Thesaurum tuum habe:

Marmora quicquid habent & prisca numismata rerum;

GOLTZEO felix codice lector habes.

Misna è ludo illustri XVIII. Kal. Septembr. anno à Christo Servatore nato

M. D. LXXIII.

d 3 ORNA-

ORNATISSIMO VIRO PRVDENTIA ET  
 ERVDITIONE PRAESTANTI D. HVBERTO  
 GOLTZIO HERBIPOLITAE VENLONIANO CIVI ROMANO,  
 TOTIVS ANTIQVITATIS PROPAGATORI DILIGENTIS-  
 SIMO INSIGNISSIMO QVE,

HADRIANVS IVNIVS MEDICVS

S. P.



ACCIPERE à Iunio benigna fronte, bonique consule lusam olim per  
 otium, tuique nominis, quamvis per se toto orbe inlustis, honori  
 consecratam Acrostichidem, eruditissime Goltzi; at utinam te, ve-  
 tustatis penum omnem in lucem revocare natum, complecti praes-  
 lens ita possim, ut Fastos Magistratum & Triumphorum Roma-  
 norum tuos soleo: id quod tametsi per seculi asperitatem, & mea-  
 rum occupationum mare, nunc non liceat; potiundi tamen aliquando voto spem  
 non abiicio. Coniunget enim nos olim, qui similes semper coniungit Deus; quod,  
 ut primo quoque fiat tempore, opto. Incredibiles enim mihi tui desiderij stimu-  
 los, non modò Fasti mei [cur enim meos non vocem quos mihi tecum esse com-  
 munes voluisti?] verùm, & Iulius Caesar tuus, & Augustus, & Sicilia & Magna  
 Graecia, & pleraque alia abstrusissimae antiquitatis monumenta; quorum tu no-  
 bis mense Octobri copiam, pro singulari tua in nos benevolentia; Antuerpiae  
 facere dignatus es, subdiderunt. In primis autem, luculentissimus ille totius an-  
 tiquitatis THESAVRVS, in tuos me amplexus, non secus ac ferrum magnes,  
 totum abduxit atque abripuit. Eruditae enim antiquitatis investigandae, & quasi  
 renovandae studium, semper feci plurimi: In quo, cum singulari te Dei optimi  
 Max. beneficio, longo ceteros intervallo, multisque parasangis praecurrere vide-  
 rem; qui privatae tuae securus utilitatis, totum te indefatigato animo, & infracto  
 pectore, exornandae locupletandaeque pulcherrimis tui ingenij fetibus Reipub-  
 licae consecraret, non potui non tuo prorsus amore absorberi. Quantum autem  
 hac in re tibi docti omnes debeant, ipsi non ignorant, & quid S. P. Q. R. debere  
 putaret, civitate donata, quod summae dignitatis beneficium, non nisi amplissi-  
 mis quibusque & praeclarissimis viris contigit, declaravit. Tuum est, quam ha-  
 tenus tui expectationem concitasti, Goltzi doctissime, nunquam dimittere; eam  
 verò non mediocri certè cumulo auxeris, si Thesaurum illum ex antiquis numis-  
 matibus, marmorum inscriptionibus, omnisque generis monumentis; tot corporis  
 sudoribus, tot itinerum difficultatibus, tot rerum domesticarum dispendiis co-  
 actum & collectum, superioribus multimodae eruditionis tuae vestigiis adiunxeris;  
 quod sedulò te conari audio, & ut coneris, rogo. Nihil enim & tuae existima-  
 tionis consultius, & rei antiquariae litterariaeque commodius, elaborari posse, vi-  
 deo. Vale Goltzi vir sollertissime. Harlemi VIII. Idus Decembr. anno à Christo  
 nato M. D. LXXXIII.

DOCTISS.

DOCTISSIMO INGENIOSISSIMOQVE,  
 VIRTUTE ET ARTE ADMIRANDO DE  
 OMNIBVS BONIS OPTIME MERITO D. HVBERTO GOLTZIO  
 HERBIPOLITAE VENLONIANO CIVI ROMANO,  
 IOANNES OTHO BRVGENSIS,

. S. P. D.



ERITO laudantur magni Principes, qui artium cultores & inventores summis beneficiis & honoribus olim cumularunt: inter quos non inferiores partes merentur Archelaus Macedoniae, Hieron Siciliae reges, Polycrates Sami tyrannus, Augustus, Mæcenas, Pollio & alij non pauci. Hoc enim pacto felicia ingenia ad praeclari aliquid audendum excitata, quasi in aciem educebantur, & ut honos artes semper aluit, ita quisque pro se gnaviter & sedulo studebat ad commune bonum aliquid afferre, quod reipublicae utilitatibus inferviret. neque errant, mea quidem sententia, qui plurimum faciunt, & ad posteros immortalitati consecrant potentissimos victores, qui rerum bene gestarum felicitate & gloria numquam ita fuerunt ebrii, quin in magnarum urbium expugnationibus & populationibus, sedulo dederint operam, ne liberalium artium cultores à bellorum immaniſſimis furiis violarentur. Vt Romanus ille numquam satis laudatus imperator Marcellus, qui in Syracusarum expugnatione studiosè cavet, ut ingenioso & mathematicarum artibus nobili parceretur Archimedi. Praeclare insuper potentissimi Demetrii regis vox, qui in urbis quam obsederat expugnatione, murorum partem quae tabulam artificiosè sculptam habebat, inviolabilem manere ab obsessis rogatus, libenter annuit: dicens, se non gerere bellum cum artibus. Numquam enim magna imperia sine liberalium artium cura, sapietum studio honore & auctoritate stabilia fuisse omnibus historiis manifestum est, & florentissimas quondam politias quarumvis gentium, tum demum emarcuisse, cum ex illis viri eruditione & prudentia clari, inglorij & iniuria affecti viverent. Quocirca laudem non vulgarem meretur heros generosissimus Laurinus, qui indefesso animi tui in rempublicam iuvandam studio permotus, omnem tibi operam impendit suam, totumque se aeternis ingenij tui la-

boribus dicat ac consecrat, ut tanto suffultus auspice, aliquid semper novi fetus extrudas, & coeptam semel AVREAM SAECVLI HVBERTATEM nobis aliquando AVREVS verè perficias. Quod ut video, conans sedulo: nam post instauratum Latium, post oblivione vindicatam Graeciam, ne quid praeteriisse putareris, HVBERRIMVM totius antiquitatis THESAURVM expedis, quem non unius anni laborem, cum reipublicae salutarem, bonis litteris frugiferum, historiarum studiofis vtilem, Gandavi nuper non nisi obiter tantum, quod doleo, & per transfennam, ut aiunt, inspexissem, non potui non nostris temporibus gratulari. Tuum erit, Goltzi doctissime, hoc quicquid est boni consulere & quam tui per totum orbem excitasti expectationem, non deserere. Gloria enim nihil suavius aut dulcius esse potest; & ut ait ille, *Θανείν δ' οἷσιν ἀνάγκη τὴ κέρως ἀνώνυμον γῆρας ἐν σπότρῳ καδήμενος ἔφοι μάτρῳ ἀπάντων καλῶν ἀμμορῶς*. Sed fus Minervam. nihil enim eximiae tuae virtuti & prudentiae meis monitis opus, quibus tamen, ut meum erga te, ornatissime Goltzi, animum aperirem, abstinere nec debui, nec potui. Vale humanissime Goltzi, cum vitis illustrissimis doctissimisque D. D. Laurinis, Mekercho, Wütsio, Geldrio, Cruquiouque. Gandavi postridie Kalend. Aprilis, anno à Christo nato M. D. LXXVII.

MELIO-



MELIORIS BARLAEI ANTVERPIANI,  
IN SYMBOLVM HVBERTI  
GOLTZII, SIVE AVREI.

HAEC, quae longa tenens profusis cornua nummis,  
AVREA felicitis locupletat SAECVLA mundi;  
Est Dea; Caesareis vivebat maxima saeculis;  
Inter & Iliacos HVBERTAS prima penates:  
Temporibus sed victa fuit, subiitque ruinis  
Cum Latius commune malum. rediit tamen illa,  
Aspice, cum Roma armipotente, eiusque triumphis.  
Sola nec antiquae revirescit gloria Romae;  
Sed quodcumque etiam clarissima perdidit Hellas.  
Humanum est; an credis? opus, formaeque recentis;  
Quid, nisi vita deest? quam, ni dare solius esset  
Cura Iovis; caelatae animam inspirare figurae  
GOLTZIVS, & mentem potuisset: maximus horum  
Qui claras acre ingenium fecere per artes.

IOAN. CASTELII CHELVI FLANDRI.

VT prius HVBERTAS evanuit AVREA SAECLE,  
Iuppiter exacto cum patre regna subIt:  
Sic eadem HVBERTAS revocata est AVREA per te,  
Atque Huberte tui dotibus ingenij;  
Ausonidum sparsas argento, auro, aere per orbem  
Dum legis, & proprio Marte recludis opes.

GVILIELMI LYKERCHI BRVGENS.

AVREA quo rediisse orbi iam SAECVLA credas,  
GOLTZI hoc HVBERTAS AVREA tota facit;  
Vt restaurentur rapuit quae prisca vetustas;  
Dic, longum Hubertum vivere fata sinant.

M. HADRIANI LOPII, B.

THESAURVM Hubertus fulva HVBERTATE recludit,  
Divite procudens AVREA SAECULA manu.

FRANCISCI MODI I. C. AD  
AVREAM HVBERTATEM.

AVREA quòd spargas hubertim ex hubere cornu  
Diva numismata, ab hoc nominis omen habes.  
Et dubitamus adhuc dias te in luminis oras  
Qui profert omen nominis unde habeat?

HVBERTAS AVREA LOQVITVR.

PROLES Iovae HVBERTAS patris vixi AVREA;  
Me mors miseris invidit ast mortalibus,  
Quorum fui surrepta quondam incuria:  
Nunc luce rursus posse concessum frui;  
Sed forma sum vitalis expers spiritus.  
Verum bene est, nil iuris in me mors habet;  
Non vivo; ne me perdat illa denuo.

LIBER AD AVCTOREM.

QVOD dederit tibi iure HVBERTAS AVREA nomen,  
Testes sunt alij; sum tibi testis ego.  
Verum pro HVBERTATE tua tibi pauca reponi,  
Testes sunt alij; testis es ipse tibi.

A P P R O B A T I O.

IN hoc Thesauro nihil à me deprehensum est quod Catholicum  
lectorem offendere possit, neque etiam in encomiasticis carmi-  
nibus, adiectis.

Waltherus vander Steeghen S. Theol. Licen-  
tius Canonici Antuerpiensis.

IN SYMBOLVM HVBERTI  
GOLTZII SIVE AVREI.

*Thefauro Hubertus multae Aureus HVBERTATIS,  
Hubere diffundit AVREA SAECLA penu.*

A V R E A

H V B E R T A S



S A E C V L I

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY



1-1-11

1-1-11



